



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum opponatur virtuti amicitiae? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

consequendum aliquid in necessitate, alicui adularus fuerit, non est contra charitatem. Unde non est peccatum mortale, sed veniale.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ loquuntur de adulatore, qui laudat peccatum alicuius. Talis enim adulatio dicitur plus nocere quam gladius persecutoris: quia in potioribus bonis nocet, scilicet in spiritualibus. Non autem nocet ita efficaciter: quia gladius persecutoris occidit effectiue, quasi sufficiens causa mortis. Nullus autem adulando potest esse alteri sufficiens causa peccandi, ut ex supra dictis patet\*.

¶ 43. a. 1

ad 3. et 1.

2. q. 73.

a. 8. ad 3.

¶ 75. a.

2. ¶ 9.

80. ar. 1.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de eo, qui adularus intentione nocendi. Ille enim plus nocet sibi quam alijs: quia sibi nocet tamquam sufficiens causa peccandi, alijs autem occasionaliter tantum.

Ad tertium dicendum, quod auctoritas illa loquitur de eo, qui proditoriè alteri adularus, ut eum decipiat.

## QVÆST. CXVI.

*De Litigio, in duos articulos diuisa.*

**P**ostea considerandum est de litigio.

¶ Et circa hoc queruntur duo.

¶ Primo, utrum opponatur virtuti amicitie?

¶ Secundo, de comparatione eius ad adulationem.

## ARTIC. I.

*Utrum litigium opponatur virtuti amicitie, seu affabilitatis?*

588

**A**d primum sic proceditur. Videtur, quod litigium non opponatur virtuti amicitie, vel affabilitatis. Litigium enim ad discordiam pertinere videtur, sicut & contentio. Sed discordia opponitur charitati, sicut dictum est\*. Ergo & litigium.

¶ 37. a. 1

¶ 2 Præterea, Prouerb. 26. dicitur, Homo iracundus incendit litem. Sed iracundia opponitur maiestati. Ergo & lis sine litigium.

¶ 3 Præ-

¶ Præterea, Iacob. 4. dicitur, Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Sed sequi concupiscentias videtur opponi temperantiæ. Ergo videtur, quod litigium non opponatur amicitia, sed temperantiæ.

SED contra est, quod Philosoph. in 4. Ethic. \* litigium opponit amicitia. *li. 4. c. 6. tom. 5.*

RESPONDEO dicendum, quod propriè litigium in verbis consistit, cum scilicet vnus verbis alterius contradicit. In qua quidem contradictione duo possunt attendi. Quandoque enim contingit contradictio propter personam dicentis, cui contradicens consentire recusat propter defectum amoris animos vnientis. Et hoc videtur ad discordiam pertinere, charitati contrariam. Quandoque verò contradictio oritur ratione personæ, quam aliquis contristare non veretur. Et sic fit litigium, quod prædicta amicitia, vel affabilitati opponitur, ad quam pertinet delectabiliter alijs conuiuere. Vnde Philosophus dicit in 4. Ethic. \* quod illi qui ad omnia contrariantur, causa eius quod est contristare, neque quoscumque curantes: dyscoli & litigiosi vocantur.

Ad primum ergo dicendum, quod contentio magis propriè pertinet ad contradictionem discordiæ: litigium autem ad contradictionem, quæ fit intentione contristandi.

Ad secundum dicendum, quod directa oppositio vitiorum ad virtutes, non attenditur secundum causas, cum contingat vnum vitium ex diuersis causis oriri, sed attenditur secundum speciem actus. Licet autem quandoque litigium ex ira oriatur, potest tamen etiam ex multis alijs causis oriri. Vnde non oportet quod directè opponatur mansuetudini.

Ad tertium dicendum, quod Iacobus loquitur ibi de concupiscentia, secundum quod est generale malum, ex quo omnia vitia oriuntur, prout dicit gloss. \* ad *li. 4. c. 6. nō procul à prin to m. 5.*

Rom.

\* *Ess. Au* Rom. 7. \* Bona est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omne malum prohibet.

## ARTIC. II.

*Vtrum litigium sit grauius peccatum, quàm adulatio?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quòd litigium sit minus peccatum, quàm contrarium vitium, scilicet placiditas vel adulatio. Quanto enim aliquod peccatum plus nocet, tanto peius esse videtur. Sed adulatio plus nocet, quàm litigium. Dicitur enim Isai. 3. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Ergo adulatio est grauius peccatum, quàm litigium.

¶ 2 Præterea, In adulatione videtur esse quædam dolositas, quia aliud adulator dicit ore, aliud habet in corde. Litigiosus autem caret dolo, quia manifestè contradicit. Ille autem qui cum dolo peccat, turpior est, ut Philosophus dicit in 7. Ethic. \* Ergo grauius peccatum est adulatio, quàm litigium.

¶ 3 Præterea, Verecundia est timor de turpi, vt patet per Philos. in 4. Ethic. \* Sed magis verecundatur homo esse adulator, quàm litigiosus. Ergo litigium est minus peccatum quàm adulatio.

**S**ED contra est, quod tanto aliquod peccatum videtur esse grauius, quanto spirituali statui magis repugnat. Sed litigium magis repugnare videtur statui spirituali. Dicitur enim 1. ad Timoth. 3. quòd oportet episcopum non litigiosum esse. Et 2. ad Timoth. 2. Seruum Domini non oportet litigare. Ergo litigium videtur esse grauius peccatum quàm adulatio.

**R**ESPONDEO dicendum, quòd de vtroque istorum peccatorum loqui possumus dupliciter. Vno modo, considerando speciem vtriusque peccati. Et secundum hoc, tanto aliquod vitium est grauius, quanto magis repugnat oppositæ virtuti. Virtus autem amicitie principaliter tendit ad delectandum, quàm ad

589

*li. 7. c. 6.  
parū ante med.  
som. 5.  
li. 4. c. vi.  
nō longe à princ.  
rom. 5.*